

INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (33)

4.12. De rebus scholaribus

4.12.1. De scholis domesticis

4.12.1.1. De schola seminarioque Ottiliensi


Ab initiis suis propria eruditio scholaris Ottilianis erat maximi momenti. Nam secundum eorum perceptionem scholā Ottilianā alumni iam ad futurum munus missionarium praeparandi erant, cum expectaretur eos (i.e. saltem maiorem partem eorum) examine maturitatis superato monasterium intraturos esse atque monachos missionarios futuros esse. Haec perceptio atque hic scopus decursū decenniorum non mutabatur, quā de causā schola et monasterium artissimam coniunctionem habebant. Etiam si hic scopus generalis permansit, tamen illo spatio temporis, de quo hic agitur, id est de spatio inter annum 1903^{um} atque 1930^{um}, quidam progressūs animadverti possunt et quaedam condiciones variabantur.

Prima condicio alicuius momenti, quae mutabatur, spectabat anno 1904^o ad locum aedificiumque scholae. Inde ab anno 1895^o discipuli in aedificio Sancti Michaelis recenter erecto et habitaverunt et oecos suos scholares habuerunt.¹ Sed decursū annorum iam denuo angustiae animadvertentur. Itaque vere opportunum erat Sorores anno 1904^o ad novum monasterium suum Tutzingense transmigravisse. Hunc in modum aedificium Sanctae Catharinae novo scopo destinari atque schola fieri potuit.² Necessarium autem erat, ut prius monasterium mulierum intrinsecus mutaretur atque

1 *Cfr* supra cap. 2.3.7.7.

2 De hac re *cfr* Narzissus HEFFELE: Die Missionsseminarien der Kongregation von St. Ottilien. In: Lumen Caecis. St. Ottilien 1928, p. 173; Narzissus HEFFELE: Die Missionsseminarien der Kongregation von St. Ottilien. In: Jahresbericht über die Seminarien der Benediktiner-Kongregation von St. Ottilien für ausländische Missionen. Schuljahr 1927/28, p. 24; Cyrillus WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien ³1939, p. 17; Frumentius RENNER: Mutterabtei St. Ottilien und Entfaltung der Kongregation. In: Leuchter 2. St. Ottilien ²1992, p. 7; Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG: Optimierung historischer Forschung durch Datenbanken. Die exemplarische Datenbank «Missionschulen 1887-1940». Bad Heilbrunn 2010, p. 36; Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS: Katholische Missionsschulen in Deutschland 1887-1940. Bad Heilbrunn 2013, p. 58.

extrinsecus amplificaretur.³ Sic ex. gr. aedificium laterale adiunctum est, quo imprimis oeci maiores continebantur. Tota schola denique circiter centum quinquaginta alumnis locum praebuit. Mense Novembri a. 1904ⁱ aedificium scholae discipulis magistrisque in usum traditum est.



Aedificium Sanctae Catharinae cum scholari parte laterali.
[Franz AUER (ed.) (1991), p. 13.]

Haec vero Ottiliensis schola missionaria generaliter erat gymnasium humanisticum, cuius scopus in eo erat, ut futuri sacerdotes missionariiue educarentur atque examine maturitatis superato alumni Ordinem Benedictinum intrarent. Itaque cum ipsā scholā coniunctum erat oecotrophēum,⁴ ut alumni per omnes annos scholares unā viverent atque educatio non solum tempore institutionum contineretur. Discipulos in oecotrophēo vivere erat obligatorium, si scholam Ottiliensem frequentare voluerunt.

Structura autem interna scholae decursū annorum secundum indigentias iterum iterumque paululum modificata est. Iam anno 1902° schola Ottiliensis publice agnita erat,⁵ quā conditione tamen etiam maior observatio publica ministerialisque significabatur.⁶ Sed iam inde ab anno 1895/96° responsales

3 De mutatione aedificatoria fusius *cf.* infra cap. 4.16.6.


4 oecotrophēum, -ī n.: *Internat.* - *Cfr.* Christian HELFER: *Lexicon Auxiliare.* Saarbrücken³1991, p. 288.

5 *Cfr.* supra cap. 3.4.1.2.

6 Talis observatio publica spectabat ex. gr. ad condiciones aedificiorum probandas, ad curriculum exacte institutum, ad statuta curriculumque inspicienda, ad relationes annuas obligatorie dandas, etc.

curriculum scholae Ottiliensis curriculo gymnasiorum humanisticorum statalium adaptaverunt. Tamen in initio discipuli Ottiliani studia gymnasialia intra octo annos explere debuerunt, demum inde ab anno 1908/09^o etiam pro ipsis tempus gymnasiale ad novem annos extentum est.⁷

Iam satis mature deliberationes exortae et ad effectum adductae sunt, quibus agebatur de structurā scholari amplificandā. Nam aliis in regionibus Bavariae monasteria seminariaque condita sunt, id est anno 1901^o in Franconiā monasterium Sancti Ludovici⁸ et in Bavariā Inferiore anno 1905^o monasterium Swickersperchiense.⁹ Harum foundationum scopus - scilicet praeter alios - etiam erat in eo, ut ex illis quōque regionibus plures iuvenes attraherentur futuros sacerdotes missionarios Benedictinos. Itaque omnino necessarium erat, ut in utroque novo monasterio satis celeriter seminarium quoddam instrueretur. In monasterio Sancti Ludovici hōc factum est statim mense Septembri a. 1902¹, quō ibīdem institutiones scholares incohatae sunt.¹⁰ In



Seminarium Swickersperchiense in statu aedificandi.

[Martin FREUNDORFER: *Das Missionsseminar Schweiklberg*. In: Christian SCHÜTZ / Martin FREUNDORFER (edd.) (2005), p. 31.]

7 Cfr. Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG (2010), pp. 38 sq.; Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), p. 72.

8 Cfr. supra cap. 4.7.2.1.1.

9 Cfr. supra cap. 4.7.2.1.2.

10 Cfr. Cyrill WEHRMEISTER (²1939), p. 25; Stephan AMON: Von St. Ludwig nach Münsterschwarzach. In: *Benediktinische Monatsschrift* 27, 1951, p. 508; Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach in Franken. In: *Leuchter* 2 (²1992), p. 60; Gabriel VOGT:


monasterio Swickersperchiense, postquam novum aedificium scholare exstructum est, institutiones scholares in initio mensis Ianuarii a. 1907ⁱ incohabantur.¹¹

Primis temporibus tota Ottiliana res scholaris percipiebatur et tractabatur ut unitas et omnia seminaria (id est Ottiliense, Ludovicianum (postea Suarzacense), Swickersperchiense) quadamtenus cohaerebant. Itaque etiam eadem principia educationis atque eruditionis valebant.¹² Singulis autem in seminariis - imprimis in monasteriis filiis - instituebantur gymnasiales classes prima usque ad tertiam, inde ab classe quarta usque ad octavam sive nonam¹³ omnes discipuli in seminario Ottiliensi educabantur.¹⁴ Tamen inde ab anno 1917/18^o in monasteriis Suarzacensi atque Swickersperchiensi propria integraque gymnasia omnibus cum classibus paulatim instituta excoltaque sunt.¹⁵

Münsterschwarzach. In: Leuchter 3 (1990), p. 117; Johannes MAHR: Schwarz aber schön. Die Abtei Münsterschwarzach im 20. Jahrhundert. 1. Münsterschwarzach 2014, p. 318.

- 11 Cfr Herbert FOLGER: Swickersperch. Beiträge zur Geschichte Schweiklbergs und des Landkreises Vilshofen in Niederbayern. Schweiklberg 1954, p. 88; Dietram FÄRBER: Schweiklberg in Niederbayern. In: Leuchter 2 (1992), p. 79; Hartmut MADL: Pater Coelestin Maier (1871-1935). Winzer 1999, p. 127; Martin FREUNDORFER: Das Missionsseminar Schweiklberg. In: Christian SCHÜTZ / Martin FREUNDORFER (edd.): O Lux Beata Trinitas. Passau 2005, pp. 251 sq.
- 12 Cfr Verordnungen über die Seminarien der St. Benediktus-Missionskongregation infolge der am 16. und 17. Juli 1908 in St. Ottilien abgehaltenen Rektorenkonferenz (20.7.1908), p. 1 (ASO, A.7.1.3), ubi expressis verbis dicitur «*seminaria esse totius Congregationis rem maximi momenti et eā de causā sub aspectū communitatis eadem esse uniformiter ordinanda*». (Textus originaliter Theodiscus).
- 13 Classes scholares illo tempore numerabantur a prima classe gymnasiali (quae hodiernis temporibus est classis quinta) usque ad classem nonam ultimamque (quae hodiernis temporibus est classis tertia decima).
- 14 Cfr Prospekt der Missions-Seminarien der Benediktiner von St. Ottilien (s.a. [1909], p. 1. - Cfr etiam Narzissus HEFFELE: Missionsseminarien. In: Lumen Caecis (1928), p. 173; Narzissus HEFFELE: Missionsseminarien. In: Jahresbericht 1927/28, p. 24; Frumentius RENNEN: Entfaltung. In: Leuchter (1992), p. 7; Leander BOPP: St. Ottilien - 50 Jahre Abtei. St. Ottilien 1952, p. 18 (ASO, D II); Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG (2010), p. 36; Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), p. 58.
- 15 Cfr Narzissus HEFFELE: Missionsseminarien. In: Lumen Caecis (1928), p. 174; Narzissus HEFFELE: Missionsseminarien. In: Jahresbericht 1927/28, p. 26; Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG (2010), p. 37; Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), p. 58; Antonia LEUGERS: Das Missionsseminar Sankt Ottilien. Von den Anfängen bis zur Aufhebung in


Inde ex anno 1901^o, postquam P. Placidus Vogel redditus est Superior domūs Sancti Ludovici, P. Augustinus Mayer¹⁶ Rector scholae Ottiliensis erat. Idem hōc munere functus est usque ad annum 1906^{um}. Anno autem 1906^o mutatio quaedam structuralis in regimine scholae facta est. Nam usque ad illum annum régimen rei scholaris dirigebatur tantummodo ab uno Patre Ottiliano. Tunc vero constituebatur divisio munerum, id est inde ex illo anno exstitit munus Rectoris, qui praepositus ipsius scholae erat, et munus Regentis, qui praepositus oecotrophēi erat.¹⁷ Itaque anno 1906^o munus Rectoris suscepit P. Benedictus Pernsteiner,¹⁸ qui praeter theologiam etiam linguis antiquis studuerat, et Regens oecotrophēi redditus est P. Cyrillus Wehrmeister,¹⁹ qui quōque in schola docuit.²⁰



P. Benedictus Pernsteiner.
[ASO, A.1.1 (PA Pernsteiner).]

der NS-Zeit. In: Norbert KÖSSINGER (ed.): Hrabanus Maurus. Profil eines europäischen Gelehrten. St. Ottilien 2008, p. 130.

- 16 P. Augustinus Mayer natus est anno 1871^o, sacerdotio auctus est anno 1896^o, deinde demum anno 1900^o monasterium Ottiliense intravit. Mense Ianuario a. 1907ⁱ in regionem missionariam Africae Orientalis missus est, unde iam mense Augusto a. 1907ⁱ in patriam revertit. Vitā functus est anno 1947^o in Abbatīā Swikkersperchiensi, quo anno 1914^o stabilitatem suam transtulerat. - *Cfr* Necrologium 2000, p. 57, nr 437.
- 17 Leander BOPP (1952), p. 18 (ASO, D II) scribit hanc divisionem munerum fuisse decretum Capituli generalis anni 1906ⁱ. Sed in Decretis typis impressis (ASO, K.3.1), quibus D. XIII specialiter de rebus scholaribus agitur, nullo loco de tali divisione sermo fit.
- 18 P. Benedictus Pernsteiner natus est anno 1871^o, sacerdotio auctus est anno 1894^o, denique mense Septembri a. 1904ⁱ in monasterio Ottiliensi vota sua protulit. Imprimis operabatur ut magister Rectorque scholae, sed etiam ut Instructor Fratrum. Vitā functus est anno 1925^o. - *Cfr* Necrologium 2000, p. 26, nr 139 et ASO, A.1.1 (PA Pernsteiner).
- 19 P. Cyrillus Wehrmeister natus est anno 1869^o, sacerdotio auctus est anno 1893^o, deinde mense Novembri a. 1896ⁱ in monasterio Ottiliensi vota sua exhibuit. Idem vero per multos annos fuerat magister in scholā Ottiliensi, Praefectus clericorum, archivarius et speciatim redactor Ottilianorum periodiorum missionariorum. Vitā functus est anno 1943^o. - *Cfr* Necrologium 2000, p. 42, nr 291 et ASO, A.1.1 (PA Wehrmeister).
- 20 De hac disiunctione munerum *cfr* Frumentius RENNERT: Entfaltung. In: Leuchter (2^o1992), p. 7; Leander BOPP (1952), p. 18 (ASO, D II); Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), p. 57, p. 154.



P. Cyrillus Wehrmeister.
[ASO, A.1.1 (PA Wehrmeister).]

Sed decursū annorum animadvertebatur ex muneribus divisis difficultates quasdam exoriri. Nam de discipulis in oecotrophēum recipiendis scilicet Regens decrevit, quā receptio tunc insimul significabatur illos discipulos in scholam quōque receptos esse. Tamen Rector ipsius scholae hac in quaestione non participavit et ei tantummodo ius quoddam vetandi fuisse videtur. Officia autem Rectoris spectabant ad magistros ducendos, ad conventūs magistrorum instituendos, ad horarium componendum, ad libros scholares eligendos, ad materias docendi discendique constituendas, et sic porro.²¹ Alterā ex parte Regentis erat habitationem, cibos valetudinemque alumnorum curare, eorum mores observare, tempus subsicivum ordinare et similia.²² Munera Rectoris atque Regentis ergo artissime quidem cohaerebant et unum sine altero cogitari non potuit, tamen hac dispositione rerum dissensiones auctoritatis sive competentiae futuras esse facile praesentiri potuit. Praeterea neque discipuli neque parentes pro certo sciverant, quis ex praepositis scholaribus maiorem auctoritatem haberet. Itaque verisimiliter ipse Regens illius temporis, P. Cyrillus Wehrmeister, anno 1914/15° speciali scripto exarato varia argumenta afferens proposuit, ut in emolumentum scholae alumnorumque haec divisio munerum iterum aboleretur.²³ Hōc propositum Otiliani deinde sequebantur et anno 1916° munera Rectoris Regentisque denuo coniungebantur et unione personali in manus P.ris Narcissi Heffele²⁴ tradita sunt.²⁵

21 *Cfr* [Cyrill WEHRMEISTER]: Die Trennung der Seminarleitung in Regentie und Rektorat (1914/15) (ASO, A.7.1.3). - *Cfr* etiam Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), p. 57.


22 *Cfr* [Cyrill WEHRMEISTER]: Die Trennung der Seminarleitung in Regentie und Rektorat (1914/15) (ASO, A.7.1.3). - *Cfr* etiam Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), p. 155.

23 *Cfr* [Cyrill WEHRMEISTER]: Die Trennung der Seminarleitung in Regentie und Rektorat (1914/15) (ASO, A.7.1.3).

24 P. Narcissus Heffele natus est anno 1885°, vota monastica anno 1905° protulit, sacredotio auctus est anno 1909°. Munus autem Rectoris obtinuit usque in annum 1936^{um}. Vitā functus est anno 1946°. - *Cfr* Necrologium 2000, p. 55, nr 415 et ASO, A 1.1 (PA

Aliud autem problema praeterea erat magni momenti. Nam Ottiliensis schola missionaria erat quidem publice agnita atque curriculum gymnasiorum Bavaricorum sequebatur, tamen, cum esset schola privata, alumnis in ipsā scholā Ottiliensi examen maturitatis sperare non licuit. Tamen tale examen discipulis erat necessarium, cum idem superatum expectaretur ab iis, qui deinde novitiatum chori suscipere voluerunt.²⁶ Sperabant vero Ottiliani fore, ut essent plerique discipuli, cum esset scopus huius scholae, quō futuri sacerdotes missionarii erudirentur.

Solutio huius problematis per nonnullos annos quaerebatur in eo, quod alumni ultimae classis in fine anni scholaris ad gymnasia statalia circumcirca sita mittebantur,²⁷ ut ibidem tamquam examinandi externi examen maturitatis superarent.²⁸ Cum hōc modō progrediendi plures difficultates cohaesisse



P. Narcissus Heffele.
[ASO, A.1.1 (PA Heffele).]

Heffele).

- 25 *Cfr* Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), p. 38.
- 26 *Cfr* Satzungen der Seminarier der Benediktus-Kongregation von St. Ottilien (1923), p. 4 (ASO, A.7.1.3). - Hanc condicionem etiam commemorat Narcissus HEFFELE: Missionsseminarien. *In*: Lumen Caecis (1928), p. 173.
- 27 Indicantur hōc in conexū varia gymnasia variis in locis, ex. gr. Augustae Vindelicum [Augsburg], Lacoriti [Lohr], Ginsburgae [Günzburg], Merstati [Münnerstadt], Dillingae [Dillingen]. - *Cfr* Narzissus HEFFELE: Missionsseminarien. *In*: Lumen Caecis (1928), p. 174; Narzissus HEFFELE: Missionsseminarien. *In*: Jahresbericht 1927/28, p. 24; Frumentius RENNER: Entfaltung. *In*: Leuchter (²1992), p. 6; Leander BOPP (1952), p. 18 (ASO, D II); Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG (2010), p. 39; Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), p. 73; Antonia LEUGERS: Missionsseminar St. Ottilien. *In*: Norbert KÖSSINGER (ed.) (2008), p. 131.
- 28 *Cfr* ex. gr. epistula ministerii Bavarici rerum internarum die 24 m. Apr. a. 1904 ad praepositos seminarii Ottiliensis missa, ubi agitur de septem alumnis Ottiliensibus, quibus examen maturitatis participare permittitur et qui eā de causā ad statale gymnasium Dillingense mittuntur (Bayerisches Staatsministerium des Innern für Kirchen- und Schulangelegenheiten an die Vorstandschaft des Missionsseminars St. Ottilien, 24.4.1904

facile imaginari possumus. Nam propter condiciones alumnis externis inopportunas plures discipuli primā vice examen superare non valuerunt.²⁹

Tales autem condiciones non in sempiternum sustineri atque retineri poterunt. Itaque alia via ingredienda erat. Solutio praebebatur anno 1913^o, cum Dillingensis gymnasii conrector Dr. Gröbl proponeret, ut duae classes superiores scholae Ottiliensis, id est classes octava atque nona, regulariter statale gymnasium Dillingense frequentarent et deinde discipuli ibidem examen maturitatis superarent, cum hunc in modum difficilem statum externorum amitterent. Huic proposito Capitulum generale anni 1913ⁱ assensum est³⁰ et inde ab autumno anni 1913ⁱ hae duae classes ad gymnasium Dillingense translatae sunt.³¹ Inde ab anno 1916/17^o etiam classis septima Dillingam mittebatur. Generaliter vero discipuli Ottilienses examen quoddam aditiale superare debuerunt, ut in gymnasium Dillingense reciperentur, sed inde ab anno 1922^o concessione statali praebitā discipulis loco examinis aditalis tempus probativum sex octove septimanarum absolvere licuit.³²

(ASO, A.7.1.2)).

- 29 Cum omnes Consociationes missionariae in quaestionibus quōque scholaribus similes condiciones similiaque problemata haberent, etiam in Conventibus Superiorum Ordinum de talibus rebus sermo fieri solebat. Anno 1918^o tali occasione nonnulli, qui examina discipulorum exterorum respiciebant, locuti sunt de «commissione mortuorum». Tamen quidam Superiores in hōc systemate nihil mutari voluerunt, quia secundum eorum opinionem effectūs mali, cum alumni missionarii gymnasia statalia frequentarent, maiores essent quam emolumenta. - *Cfr* Antonia LEUGERS: Interessenspolitik und Solidarität. 100 Jahre Superioren-Konferenz Vereinigung Deutscher Ordensoberer. Frankfurt/M 1999, p. 112.
- 30 *Cfr* Capitulum generale 1913, 10. Sitzung (20.8.1913), p. 12 (ASO, K.3.1).
- 31 *Cfr* Narzissus HEFFELE: Missionsseminarien. *In*: Lumen Caecis (1928), p. 174; Narzissus HEFFELE: Missionsseminarien. *In*: Jahresbericht 1927/28, p. 25; Frumentius RENNERT: Entfaltung. *In*: Leuchter (1992), p. 7; Leander BOPP (1952), p. 18 (ASO, D II); Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG (2010), p. 39; Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), p. 58, p. 74; Antonia LEUGERS: Missionsseminar St. Ottilien. *In*: Norbert KÖSSINGER (ed.) (2008), p. 131; Hermann BIBER: Vom Theresienhaus zum Priorat St. Bonifatius. *In*: Jahrbuch des Historischen Vereins Dillingen 103, 2002, p. 255. - Frumentius RENNERT: Zur Frühgeschichte der Seminarschule in St. Ottilien. *In*: Franz AUER (ed.): 100 Jahre Gymnasium in St. Ottilien (s.a. (1991), p. 13 nominat gymnasii Rectorem D.rem Englert initiatorum huius propositi.
- 32 *Cfr* epistula Rectoris Narcissi Heffele die 18 m. Dec. a. 1923 ad statale ministerium educationis cultūsque directa, quā idem modo iterato rogavit, ut discipulis Ottiliensibus tempus probativum concederetur (Rektorat des Missionsseminars St. Ottilien an das

Tamen quaestio quaedam remansit. Nam etiam discipuli superiorum classium erant alumni missionarii, quā de causā neque alicubi neque dispersi in oppido Dillingā habitare potuerunt. Ut generalis scopus educationis servari posset, necessarium erat, ut alumni in oecotrophēo quōque Patre quōdam ducente unā viverent. Haec vero quaestio satis facile solvi potuit. Nam Otiliani Dillingae inde ex anno 1906^o domum possidebant, in quā clerici habitabant, qui in Dilligensi seminario sacerdotali studia sua theologica peregerunt.³³



*Domus Dillingensis ex longinquo recepta.
[ASO, Archivum imaginum, A 70.]*

Iidem autem anno 1913^o hanc domum reliquerunt, ut partem studiorum suorum in studiorum universitate Monacensi transigerent. Itaque alumni

Staatsministerium für Unterricht und Kultus, 18.12.1923 (ASO, A.7.1.2). - Ceterum idem ministerium in initio anni 1927ⁱ Otilianis nuntiavit mense Ianuario anni 1926ⁱ tale tempus probativum loco examinis aditalis generaliter concessum esse, quā de causā petitiones hac in re non iam essent necessariae (Bayer. Staatsministerium für Unterricht und Kultus an das Rektorat des Missionsseminars St. Ottilien, 20.1.1927 (ASO, A.7.1.2)).

- 33 Primum aedificium, quod Otiliani Dillingae in usū habuerant, erat conductum. Denique anno 1906^o domus quaedam empta est, quam Abbas Norbertus Weber eodem anno in Prioratum simplicem erexit et cui nomen Sancti Bonifatii inditum est. Primus autem Superior huius domūs erat P. Bonifatius Sauer. Eum secutus est anno 1908^o P. Odilo Mayrock atque anno 1912 P. Petrus Wachter.

classium superiorum illuc transmigrare potuerunt.³⁴ Cum discipuli advenirent, P. Petrus Wachter adhuc erat Superior domūs Dillingensis, sed eum satis celeriter, id est anno 1914^o secutus est P. Constantinus Jachmann, qui usque



*Alumni Dillingenses anni scholaris 1926/27ⁱ.
[ASO, Archivum imaginum, A 2.]*

ad annum 1925^{um} ibidem erat Superior. Deinde P. Bernhardus Ledermann praepositus domūs Sancti Bonifatii erat. Alumni vero in domo Dillingensi sub eisdem regulis vivebant ac in ipso seminario Ottiliensi. Ipsa autem schola Ottiliensis illo tempore, cum deinde tantummodo primae sex classes gymnasiales ibi educarentur, mutata est in progymnasium sic dictum.³⁵

Convertamur nunc ad programma scopumque scholae Ottiliensis. Cum enim - uti iam dictum est - «progenies» monasterii missionisque inde exspectaretur, ea sunt magni momenti, quibus agitur de eruditione atque educatione

34 *Cfr* Leander BOPP (1952), p. 18 (ASO, D II); Cyrillus WEHRMEISTER (³1939), p. 17; Frumentius RENNER: Frühgeschichte. *In*: Franz AUER (ed.) (1991), p. 14; Narzissus HEFFELE: Missionsseminarien. *In*: Lumen Caecis (1928), p. 174; Narzissus HEFFELE: Missionsseminarien. *In*: Jahresbericht 1927/28, p. 25; Hermann BIBER: Theresienhaus. *In*: Jahrbuch des Historischen Vereins Dillingen 103, 2002, p. 255.

35 *Cfr* Frumentius RENNER: Frühgeschichte. *In*: Franz AUER (ed.) (1991), p. 14; Frumentius RENNER: Entfaltung. *In*: Leuchter (²1992), p. 7; Antonia LEUGERS: Missionsseminar St. Ottilien. *In*: Norbert KÖSSINGER (ed.) (2008), p. 131; Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG (2010), p. 79; Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), p. 74.

iuvenum.

Primo non omnibus indiscriminatim aditus ad Ottiliensem scholam missionariam praebebatur.³⁶ Maximi enim momenti in petitione recipiendi - quod bene intellegitur - erat voluntas sincera atque libere prolata, quā puer recipiendus vocationem suam monasticam missionariamque credibiliter verbis expressit.³⁷ Praeterea postquam curriculum statalium gymnasiorum humanisticorum in scholam Ottiliensem introductum est, aetas, quā pueri in primam classem gymnasii recipiebantur, erat inter annum decimum atque tertium decimum.³⁸ Non admissi sunt pueri, quibus mala testimonia scholaria erant et quorum progressūs aliis in gymnasiis iam in irritum ceciderant.³⁹ Generaliter vero postulabatur satis bonum ingenium discipuli futuri, cum a missionario variis in disciplinis multa exspectarentur.⁴⁰ Ottiliani ergo seminarium suum non percipiebant ut locum collectaneum omnium, qui alibi iam defecerant, sed satis multa poscebant. Huc etiam pertinent ea, quae ad indolem, virtutes religiositatemque spectant, cum iam in pueris recipiendis omnia, ut in radice adessent, respiciebantur, quibus bonus monachus missionariusque futurus praeditus esse deberet.⁴¹ Haec aliaque iam legebantur in Prosepectū quodam, qui dicitur et qui ad illos mittebatur, quibus scholam seminariumque Ottiliense intrare in animo erat. Omnes enim iam in antecessum scire debuerunt, quid ab eis postularetur atque exspectaretur, ne pueri non apti neque idonei receptionem peterent. Itaque ibīdem quoque iam explicabatur, quibus condicioni-

36 Generaliter de toto conexū *cfr* Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG (2010), pp. 37 sq.; Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), pp. 68 sqq.

37 *Cfr* Prospekt der Missions-Seminarien der Benediktiner von St. Ottilien (s.a. [1909]), II,1, p. 2 (ASO, A.7.5.4). Itaque hōc locō statim subiungitur non posse recipi tales pueros, qui tantummodo studia sua conficere et deinde aliud munus suscipere vellent. - *Cfr* etiam ex gr. Satzungen der Seminarien der Benediktiner-Kongregation von St. Ottilien (1923), p. 3.

38 *Cfr* Prospekt der Missions-Seminarien der Benediktiner von St. Ottilien (s.a. [1909]), II,4, p. 2 (ASO, A.7.5.4).

39 *Cfr* Satzungen des Missionsseminars der St. Benediktus-Missions-Genossenschaft von St. Ottilien (1902), III, § 6, p. 2 (ASO, A.7.1.3).

40 *Cfr* Prospekt der Missions-Seminarien der Benediktiner von St. Ottilien (s.a. [1909]), II,2, p. 2 (ASO, A.7.5.4).

41 *Cfr* Prospekt der Missions-Seminarien der Benediktiner von St. Ottilien (s.a. [1909]), II,3, p. 2 (ASO, A.7.5.4).

bus discipuli iterum dimitti possent,⁴² id est si ex. gr. regulas constitutas indesinenter non observabant, si malos mores exhibebant, qui sanari non potuerunt, si animadvertebatur aliquem vocationem ad vitam monasticam missionariamque omnino non habere, et similia. Dimitti etiam alumnus potuit, cum pro certo sciretur eum usque ad examen maturitatis non perventurum esse.⁴³ Sed etiamsi ab initio selectio quaedam fiebat, tamen candidati, quibus ex eruditione scholari iam acceptā condiciones non ita opportunaerant, sed in quos praeter indolem vocationemque spes ponebatur, variis modis fovebantur atque adiumenta eis praebita sunt.⁴⁴ Hac in re Patres Fratresque Otiliani vel etiam alumni maiores natū illis candidatis institutiones privatas subsidiariasque exhibuerunt, ut iidem sive singulis sive omnibus in disciplinis statum classis suae adipiscerentur. Tales vero institutiones subsidiariae gratuito praebebantur.⁴⁵

Hōc in conexū nunc etiam quaestio exoritur, unde alumni Otiliani provenirent, id est ex quibus familiis et ex quibus regionibus. Scitū vere dignum est investigationibus quoque scientificis recentioribus inventum esse illo tempore, de quo agitur, maiorem partem alumnorum exortam esse ex familiis, quarum patres functionarii⁴⁶ minores mediique, mercatores institoresque,

42 *Cfr* Prospekt der Missions-Seminarien der Benediktiner von St. Ottilien (s.a. [1909]), V, p. 3 (ASO, A.7.5.4); Satzungen der Seminarien der Benediktiner-Kongregation von St. Ottilien (1923), pp. 45 sq.

43 *Cfr* Verordnungen über die Seminarien der St. Benediktus-Missionskongregation infolge der am 16. und 17. Juli 1908 in St. Ottilien abgehaltenen Rektorenkonferenz, § 9, p. 3 (ASO, A.7.1.3).

44 De hac re *cfr* Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG (2010), p. 38; Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), pp. 70 sq.; Antonia LEUGERS: Missionsseminar St. Ottilien. *In*: Norbert KÖSSINGER (ed.) (2008), pp. 134 sq.

45 Discipuli, qui ex gymnasio quodam statali ad seminarium Otiliense transire voluerunt, quia classem quandam superare non valuerant, non ita benigne atque restrictione quādam tractabantur. Itaque in praeceptis ad seminaria spectantibus leguntur haec: «*Hic suspicio movetur repulsam effecisse vocationem, id quod semper maxime suspectum est.*» (Textus originaliter Theodiscus) (Verordnungen über die Seminarien der St. Benediktus-Missionskongregation infolge der am 16. und 17. Juli 1908 in St. Ottilien abgehaltenen Rektorenkonferenz, § 6, p. 2 (ASO, A.7.1.3).

46 functionarius, -ī m.: *Angestellter*. - *Cfr* Christian HELFER (³1991), p. 78.

agricolae erant.⁴⁷ Ex familiis autem rusticis circiter triginta centesimae discipulorum Ottiliensium provēnērunt. Itaque etiam non mirandum est maiorem partem alumnorum ex regionibus ruralibus ortam esse.⁴⁸ Inde concludi potest alumnos Ottilienses imprimis ad socialia strata inferiora atque media pertinuisse.⁴⁹ Praeterea concludi potest scholam Ottiliensem his stratis socialibus viam ad ascensionem socialem praebuisse.

Certe etiam erat scopus Ottilianorum «progeniem» suam undique quaerere, ubicumque bona ingenia coniuncta cum vocatione sincerā inveniri potuerunt strato sociali non respecto. Talia - praeter alia⁵⁰ - etiam animadvertuntur, cum spectemus contributionem pecuniariam, quam parentes quotannis solvere debuerunt. Illo tempore, de quo agitur, contributio plena constitit 360 marcis.⁵¹ Tamen reductiones quaedam fieri potuerunt, cum familia ex conditionibus oeconomicis totum pretium solvere non valuit, sed tantummodo si

47 Huiusmodi investigationes programmatis ordinatralibus sustentae inveniuntur imprimis in libro, qui est Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG (2010), p. 142 sqq. - Sed iam Narzissus HEFFELE: *Missionsseminarien*. In: *Lumen Caecis* (1928), pp. 176 sq. similes numeros exhibuit. - Frumentius RENNERT: *Frühgeschichte*. In: Franz AUER (ed.) (1991), p. 17 breviter idem refert.

48 Quod certe etiam cohaerebat cum sitū monasterii Ottiliensis.

49 Ceterum Narzissus Heffele: *Missionsseminarien*. I: *Lumen Caecis* (1928), p. 177 scripsit filios officialium*, qui etiam scholam frequentaverunt, partim melius ingenium habere, sed eorum virtutes saepe non esse tam stabiles ad difficilia officia muneris futuri sustentanda.

*) officialis, -is m.: *Beamter*. - Cfr Christian HELFER (1991), p. 111; Johann Paul BAUER: *Lexicon terminorum iuridicorum et politicorum nostrae aetatis*. Saarbrücken 2008, p. 62.

50 Differentias inter alumnos, qui ex variis stratis socialibus exoriundi erant, in seminario Ottiliensi responsales superare conabantur ex. gr. vestimento scholari communi, quod omnibus discipulis gerendum erat, vel etiam rebus inter omnes distribuendis, quae singulis interdum a parentibus missae sunt. Talia, quae etiam ad futuram vitam monasticam spectaverunt, praeterea inveniuntur in eo, quod inter comestiones quidam alumni condiscipulis ministrabant et hoc officium alternatim unicuique aliquando explendum erat. - Cfr *Verordnungen über die Seminarien der St. Benediktus-Missionskongregation infolge der am 16. und 17. Juli 1908 in St. Ottilien abgehaltenen Rektorenkonferenz*, VI, § 25, p. 4; ad tit. VII, p. 5 (ASO, A.7.1.3); *Beschlüsse des vom 6. Aug. bis 27. Sept. 1913 in St. Ottilien tagenden Generalkapitels der Benediktiner-Kongregation von St. Ottilien über unsere Missionsseminarien*, § 6, p. 2 (ASO, A.7.1.3); *Satzungen der Seminarien der Benediktiner-Kongregation von St. Ottilien* (1923), p. 21, p. 41, p. 44 (ASO, A.7.1.3).

51 *Prospekt der Missions-Seminarien der Benediktiner von St. Ottilien* (s.a. [1909]), p. 3 (ASO, A.7.5.4).

discipuli quoad indolem atque ingenium spem praebebant se bonos sodales consociationis fore.⁵² Reliquum autem, quod parentes exhibere non poterunt, erogabatur a fautoribus privatis vel pecuniā sive ex «opere caritatis», quod dicitur, sive ex venditione periodicorum allatā.⁵³



Classes quarta, quinta sexta anni scholaris 1917/18ⁱ unā cum P.re Ildefonso Stegmann, Archiabbate Norberto Weber, P.re Narcisso Heffele, F.re Leone Vogel (a sinistris). [ASO, Archivum imaginum, A 70.]

Scopus vero generalis fundamentalisque missionarii seminarii Ottiliensis erat in eo, ut alumni et erudirentur et educarentur. Itaque cum scholā - ut iam commemoratum est - coniunctum erat oecotrophēum. Hunc in modum discipuli per totum annum scholarem (et magnā ex parte etiam inter ferias) unā vivebant et inter institutiones et extra easdem semper unā erant, magistri vero praepositique per totum spatium temporis et rationem et corpus et mentem formare potuerunt, quod attinebat ad scientiam, ad religiositatem, ad discipli-

52 Prospekt der Missions-Seminarien der Benediktiner von St. Ottilien (s.a. [1909]), p. 3 (ASO, A.7.5.4); Verordnungen über die Seminarien der St. Benediktus-Missionskongregation infolge der am 16. und 17. Juli 1908 in St. Ottilien abgehaltenen Rektorenkonferenz, § 9, p. 3 (ASO, A.7.1.3). Ibīdem legitur «*principium esse, ne parentes, fratres sororesque alicuius alumni aliquā re egeant neque eis noceatur*». (Textus originaliter Theodiscus). Exspectabatur tamen, ut parentes ea erogarent, quae erogare valerent.

53 De toto conexū *cfr* Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG (2010), p. 37; Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), pp. 69 sq.; Antonia LEUGERS: Missionsseminar St. Ottilien. *In*: Norbert KÖSSINGER (ed.) (2008), p. 134; Narzissus HEFFELE: Missionsseminarien. *In*: Lumen Caecis (1928), p. 177; Narzissus HEFFELE: Missionsseminarien. *In*: Jahresbericht 1927/28, p. 30.

nam internam, ad mores et sic porro.⁵⁴

Ex horario cottidiano apparet alumnos ab horā quintā matutinā (sive quintā et dodrante), quā surgebant, usque ad horam septimam et dodrantem vespertinam, quā preces vespertinae proferebantur, semper occupatos fuisse.⁵⁵ Tamen varii aspectūs respiciebantur. Nam alumni non per totum diem institutiones scholares habebant,⁵⁶ sed iterum iterumque pausae intermisciebantur, tempora recreationis praebebantur, exstabant spatia temporis, quibus discipuli in studia privata incubuerunt atque pensa domestica confecerunt,



*Oecus studiorum anni 1916/17.
[ASO, Archivum imaginum, A 70.]*

erant tempora ludendi, exhibebantur instructiones religiosae moralesque, et sic porro.⁵⁷

54 Narzissus HEFFELE: Missionsseminarien. *In*: Lumen Caecis (1928), p. 175 adnotavit educationem in oecotrophēo quaedam detrimenta quidem habere, quae ei opprobrio dari solent, tamen eiusdem emolumenta esse maioris momenti. - Quod argumentum in casū seminarii missionarii certe aliquatenus valebat, cum alumni ita educarentur, ut postea apti essent, ut in communitate monasticā bene vivere atque convenienter se gerere possent.

55 *Cfr* Satzungen der Seminarien der Benediktiner-Kongregation von St. Ottilien (1923), pp. 6 sqq. (ASO, A.7.1.3).

56 Generaliter institutiones scholares exhibebantur inter antemeridianam horam octavam atque duodecimam et inter horam secundam atque quartam postmeridianam.

57 Scopus huiusmodi horarii refertissimi dicitur fuisse in eo, ut alumni rebus utilibus occuparentur neque ad «cogitationes stultas» pervenirent.

Illa autem tempora pausa, recreationis ludorumque consulto tam saepe inserta sunt, quia bene sciebatur talia ad aequilibrium mentale corporaleque esse omnino necessaria et praeterea ad corporalem valetudinem firmam, quae missionario est necessaria, aliquid attribuere. Itaque ad usum alumnorum exstabant campi ludendi et etiam stagnum iuxta scholam situm, quod destinatum erat, ut discipuli ibi luderent. Regulariter etiam ambulationes fiebant et longiores quoque excursiones.⁵⁸ Omnibus autem actionibus alumni tantummodo gregatim fructi sunt.



*Classes prima, secunda et tertia anni scholaris 1926/27.
[ASO, Archivum imaginum, A 70.]*

Quod attinet ad ipsam scholam eiusque institutiones, Ottiliani curriculum sequebantur, quod in Bavaricis gymnasiis humanisticis valebat.⁵⁹ Hoc praeter alia significabat omnes disciplinas, quae in stationalibus gymnasiis humanisticis docebantur, etiam in seminario Ottiliensi praeberi atque expleri.⁶⁰ Tamen

58 *Cfr* Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG (2010), p. 45; Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), p. 159.

59 De curriculo illius temporis *cfr* ex. gr. Karl WEBER / Friedrich WEBER: Neue Gesetz- und Verordnungen-Sammlung für das Königreich Bayern mit Einschluß der Reichsgesetzgebung. München 1919, pp. 282 sqq.: Schulordnung für die höheren Lehranstalten; pp. 304 sqq.: Lehrplan.

60 In seminarii statutis anni 1902ⁱ (Satzungen des Missionsseminars der St. Benediktus-Missions-Genossenschaft von St. Ottilien (1902), § 17, p. 4 (ASO, A.7.1.3)) legitur discipulos «*in reliquis disciplinis eruditionis gradum a scholis stationalibus postulatam*

quidam accentūs speciales ponebantur. Nam imprimis linguae respiciebantur, scilicet Theodisca⁶¹ et Latina,⁶² sed etiam reliquae linguae vivae, «*cum ad opus missionarium specialiter essent necessariae*». ⁶³ Hunc in modum schola Ottiliensis verisimiliter terminos in statalibus gymnasiis humanisticis positos transgrediebatur. Praeter disciplinas, quae omnibus in gymnasiis docebantur, etiam quaedam superadditae sunt atque quadamtenus facultativae praebebantur, inter quas ex. gr. institutiones delineandi, stenographiae, cantandi musicaeque instrumentalis numerabantur.⁶⁴

Sed officiali curriculo scholari eruditio atque educatio discipulorum nondum ad finem pervēnit. Nam propositum in Ottiliensi seminario missionario erat in eo, ut educatio ad totum hominem spectaret. Itaque omnes aspectūs, id est mentalis, corporalis, moralis spiritualisque, respiciendi erant. Eā de causā alumnis praescriptum erat, ut cottidie per dodrantem horae opera manualia

adipisci oportere». (Textus originaliter Theodiscus). Inde Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), p. 191 concludunt hunc scopum fuisse «modestum». Tamen non ita intellegitur, quid hac in re sit «modestum», cum omnino idem postuletur ac in scholis statalibus.

- 61 Hōc in conexū explicabatur necessarium esse, ut alumnus pro homiliis, catechesi atque relationibus bonum genus dicendi scribendique sibi acquireret. - *Cfr* Satzungen des Missionsseminars der St. Benediktus-Missions-Genossenschaft von St. Ottilien (1902), § 16, p. 4 (ASO, A.7.1.3).
- 62 In statutis anni 1902ⁱ (Satzungen des Missionsseminars der St. Benediktus-Missions-Genossenschaft von St. Ottilien (1902), § 16, p. 4 (ASO, A.7.1.3)) postulat, ut «*alumni linguae Latinae tam pollentes fiant, ut eādem modo scripto atque orali correcte, generi elocutionis apte et sine difficultate uti valeant*». (Textus originaliter Theodiscus). - Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), pp. 191 sq. scribunt talia esse «tantummodo» postulata. Sed interrogandum est, quid hōc in conexū «tantummodo» significet, cum illas facultates indicatas sibi acquirere profundam scientiam linguae requirat. Idem autem auctores eodem loco ex aestimatione suā praeterea concludunt momentum traditionaliter extraordinarium, quod lingua Latina pro clericis catholicis habuerat, in scholā Ottilianā minutum esse. Tamen haec interpretatio mihi non omni ex parte videtur esse conveniens, cum praesertim inde ex illo tempore, quo discipuli Ottiliani superiores classes gymnasiolorum statalium frequentabant, eorum scientia debuerit eādem esse ac reliquorum discipulorum.
- 63 Satzungen des Missionsseminars der St. Benediktus-Missions-Genossenschaft von St. Ottilien (1902), § 16, p. 4 (ASO, A.7.1.3). - Textus originaliter Theodiscus.
- 64 *Cfr* Satzungen des Missionsseminars der St. Benediktus-Missions-Genossenschaft von St. Ottilien (1902), § 19, p. 5 (ASO, A.7.1.3). Tamen ibidem restrictione quādam legitur tales disciplinas solum praebere posse, si magistri ad manum essent. - Ceterum inquisitionem scitū dignam, quā agitur de magistris, qui in scholā Ottiliensi docuerunt, exhibent Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG (2010), pp. 79 sqq.

exanclarent, quae potuerunt esse varii generis et quae a Praefectis distributa sunt.⁶⁵ Talia opera manualia percipiebantur etiam ut praeparatio futuri muneris missionarii, cum iidem in laboribus quōque practicis versati esse deberent. Tamen optabatur quōque, ut alumni extra ipsam institutionem scholarem in eruditionem suam ampliandam incumberent, praesertim facultates cantandi atque instrumentum musicum modulandi exoptabatur. Huiusmodi instruc-



*Theatrum scholare anni 1929'.
[ASO, Archivum imaginum, A 70.]*

tionibus praeterea aliquid ad vitam communem attribuebatur.⁶⁶ Itaque alumni in festis scholaribus spectacula quōque theatri et acroamata musica exhibuerunt.⁶⁷

In educatione alumnorum scilicet aspectus religiosus erat maximi momenti, cum - uti iam dictum est - exoptaretur, ut alumni scholā absolutā in Ottiliensi Abbatia fierent monachi sacerdotesque atque hunc in modum etiam munus missionarium susciperent. Hic vero aspectus religiosus erat omnipraesens.

65 *Cfr* Satzungen des Missionsseminars der St. Benediktus-Missions-Genossenschaft von St. Ottilien (1902), § 26, p. 8 (ASO, A.7.1.3); Verordnungen über die Seminarier der St. Benediktus-Missionskongregation infolge der am 16. und 17. Juli 1908 in St. Ottilien abgehaltenen Rektorenkonferenz, Tit. I, p. 2 (ASO, A.7.1.3); Satzungen der Seminarier der Benediktiner-Kongregation von St. Ottilien (1923), p. 17 (ASO, A.7.1.3).

66 De talibus institutionibus «extrascholaribus» *cfr* etiam Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), p. 159; Antonia LEUGERS: Missionsseminar St. Ottilien. *In.*: Norbert KÖSSINGER (ed.) (2008), p. 136.

67 De acroamatis musicis sive chori sive symphonicorum atque de theatro, quas res discipuli exhibuerunt, saepius etiam in Chronicis Ottiliensibus refertur.

Nam idem non solum in ipsā institutione scholari respiciebatur, sed etiam in multiplicibus precibus cottidianis, in regularibus exercitiis religiosis, in praelectionibus specialibus, in discipulorum modo se gerendi exspectato, et sic porro.⁶⁸ Talis autem omnipraesentia non est miranda, quia aspectum religiosum in scholā monasteriali esse constitutum per se intellegitur.

Ut vidimus, in scholā seminarioque Ottiliensi inter annos 1903^{um} et 1930^{um} quaedam mutationes factae sunt, quae imprimis spectabant ad structuram gymnasii et ad progressum discipulorum praestandum, alterā ex parte principia fundamentalia et modus, quo illa ad effectum adducerentur, manserunt eadem.

4.12.1.2. De reliquis eruditionis institutis domesticis

Examine maturitatis superato illi alumni, qui revera monasterium intraverant, post novitiatum aliquando in studia theologica incubuerunt. Inde ab anno 1889^o clerici studia philosophica et theologica in Dillingensi episcopali athenaeo philosophico-theologico peregerunt atque Dillingae quōque habitaverunt,⁶⁹ inde ex anno 1901^o studentes theologiae ad studiorum universitatem Monacensem transmigraverunt atque ibidem in Ottiliensi collegio Monacensi vitam degerunt.⁷⁰ Uti iam commemoratum est, clerici Dillingae quōque iterum in studia incubuerunt, postquam Ottiliani ibidem propriam domum emerunt.

Sed nonnullis annis post condicio denuo mutata est. Agitur enim de proprio

68 *Cfr* Satzungen des Missionsseminars der St. Benediktus-Missions-Genossenschaft von St. Ottilien (1902), § 23, p. 6 (ASO, A.7.1.3); Satzungen der Seminarien der Benediktiner-Kongregation von St. Ottilien (1923), pp. 9 sqq. (ASO, A.7.1.3). - Itaque non ita bene intellegitur conclusio, quam Holger GAST / Antonia LEUGERS / August H. LEUGERS-SCHERZBERG / Uwe SANDFUCHS (2013), p. 210 exhibent et quā dicunt curriculis statalibus assumptis aspectūs specialiter missionarios et etiam spirituales magis recessisse et novae disciplinae missiologicae in athenaeis philosophico-theologicis delegatos esse. Sed unā ex parte curricula statalia non pertinebant ad educationem in oecotrophēo et alterā ex parte missiologia est disciplina scientifica et omnino non spectat ad educationem religiosam atque ad educationem ad munus missionarium quadamtenus pertinentem, quā alumni usū cottidiano instructi sunt. Insuper non omnes discipuli alicuius scholae missionariae, qui postea theologiae studuerunt, etiam in missiologiam incubuerunt.

69 *Cfr* supra cap. 2.3.5.2.

70 De his rebus fusius *cfr* Leander BOPP: Die Kollegien St. Ottiliens in Dillingen und München (1938), pp. 28 sqq. (typoscriptum, ASO, A.4.3). - *Cfr* etiam Hermann BIBER: Theresienhaus. In: Jahrbuch des Historischen Vereins Dillingen 103, 2002, p. 253; Leander BOPP (1952, p. 22 (ASO, D II); Cyrillus WEHRMEISTER (³1939), p. 17.

athenaeo philosophico Abbatiae Ottiliensis. Prima huius instituti initia officialia⁷¹ videntur magis in clericorum studiis philosophicis privatis constituisse, quae verisimiliter Patres periti comitabantur sive ducebant.

Tamen de ipso athenaeo philosophico Ottiliensi, quod in ipsā Abbatiā locum habuit, vere constituto demum inde ab anno 1912^o sermo est.⁷² Praelectiones autem in novo athenaeo inchoatae sunt die 21^o m. Oct. a. 1912^o. Primus vero Rector huius «superioris scholae philosophicae» redditus est P. Chrysostomus Schmid.⁷³ Idem hōc munere functus est usque ad annum 1921^o, quō eum secutus est P. Rupertus Klingseis.⁷⁴ Athenaeum philosophicum Ottiliense satis celeriter die 19^o m. Nov. a. 1914^o a regimine Bavarico officialiter agni-

71 Rem non ita claram esse apparet ex variis notitiis, quibus commemorantur studia philosophica iam anno 1901^o (quae verisimiliter solum privata erant illorum, qui examen maturitatis non habebant) vel inter annos 1902^{um} et 1908^{um} privata studia philosophica vel etiam conamina, quibus iam inde ab anno 1903^o athenaeum philosophicum institueretur. - Cfr. Frumentius RENNER: Über den Ursprung der hiesigen Philosophischen Hochschule auf Grund vorliegender Chroniknotizen (1991), p. 1 (typoscriptum, ASO, A.8); Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter (²1992), p. 8; Frumentius RENNER: Frühgeschichte. In: Franz AUER (ed.) (1991), p. 14. - Tamen in Statutis, quibus agitur de studiis Ottilianorum peragendis (Statuten über die Ausbildung des Ordensnachwuchses der Benediktinerkongregation von St. Ottilien für auswärtige Missionen (1959), III, Art. 15, § 1, p. 10 (ASO, A.8); Ratio Studiorum Congregationis Ottiliensis O.S.B. pro Missionibus Exteris (1959), III, Art. 14, § 1, p. 13 (ASO, A.8) legitur «scholam superiorem philosophicam» esse fundatam anno 1905^o.

72 Cfr. Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter (²1992), p. 8; Leander Bopp (1952), p. 23 (ASO, D II).

In Constitutionibus anni 1913ⁱ, Cap. LXII, Decl. 71, § 86 (ASO, K.1.1) de studiis superioribus praeter alia leguntur haec: «*Ut Congregationis Clerici iuxta spiritum S. Ecclesiae et Ordinis efformentur, Capitulum generale instituit Studium generale delinians scilicet studiorum et philosophiae et theologiae cursus. Qui cursus in diversa monasteria distribui possunt. Perinde raro idque non nisi assentiente Archiabbate fratres Clerici in Universitatem quandam vel aliud institutum (excepto Collegio S. Anselmi) mittantur.*» (Textus originaliter Latinus).

73 P. Chrysostomus Schmid videtur ad hōc munus exanclandum illo tempore maxime aptus fuisse. Idem enim studia sua Romae in Benedictina studiorum universitate Sancti Anselmi peregit, ubi primus ex Congregatione Ottilianā in doctores promotus est. Inde anno 1908^o ad Abbatiam Ottiliensem reverterat.

74 P. Rupertus Klingseis natus est anno 1890^o, vota sua in Abbatia Ottiliensi protulit anno 1911^o, sacerdotio auctus est anno 1915^o, emissus est anno 1930^o in Coream, ibidem anno 1950 vitā functus est.

tum est.⁷⁵

Clerici autem omnium Bavariae monasteriorum Ottilianorum hoc proprium athenaeum philosophicum frequentare obligati erant. Tamen iam anno 1913^o cooperatio quaedam instituta est. Nam inter Abbatiam Ottiliensem atque Abbatiam Attalensem⁷⁶ conventio inita est, quā monachi Ottiliani theologiae in Coenobio Attalensi studerent atque Attalenses philosophiae in athenaeo Ottiliensi.⁷⁷ Sed haec cooperatio iam anno 1917^o finiebatur, cum propter condiciones primi belli mundani satis multi studentes non iam essent. Tamen hiemali tempore anni 1917/18ⁱ in ipso athenaeo Ottiliensi cursūs philosophiae iterum incohabantur.

In initio autem exhibebantur duo cursūs, quibus docebatur philosophia scholastica, anthropologia, scientiae naturales, missiologia atque historia missionaria. Sed anno 1917^o ratio paululo mutabatur novo Codice Iuris Canonici fulta.⁷⁸ Nam inde ab illo tempore duo anni studio philosophiae attribuebantur, dum in studiorum universitatibus studia theologiae in octo spatia semestria extenduntur. Haec condicio ita mansit usque in annos tricesimos.

Sed Ottilianis non solum studia altiora, quae dicuntur, erant curae, sed etiam futuri Fratres conversi, qui in Abbatia munus quoddam addidicerunt, respiciebantur, cum opportunum videretur eosdem cohabitantes modo Benedictino atque sub aspectu futuri muneris missionarii educare. Itaque iam anno 1901^o aliquid instituebatur, quod institutum alumnorum operariorum appellari potuit.⁷⁹ Nam in domo Sancti Gabrielis nonnulla conclavia instructa sunt, quibus duodecim alumnis, qui variis in opificiis erudiebantur, locus praebebatur. Hunc in modum oecothrophēum quoddam exortum est. Tamen haec res nondum erat schola professionalis, quae dicitur.

Tamen schola opificum iam pridem ab Ottilianis desiderabatur. Iam in Capi-

75 Cfr epistula (nr 30065) ministerii rerum internarum die 19 m. Nov. a. 1914 ad Congregationem Ottilianam directa (ASO, A.8.).

76 *Ettal.* - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER: Bavaria Latina. Lexikon der lateinischen geographischen Namen in Bayern. Wiesbaden 1971, p. 71.

77 Cfr Leander BOPP (1952), p. 23 (ASO, D II).

78 CIC (1917, can. 589, § 1: *Religiosi in inferioribus disciplinis rite instructi, in philosophiae studia saltem per biennium et sacrae theologiae saltem per quadriennium doctrinae D. Thomae inhaerentes ad normam can. 1366, § 2, diligenter incumbant, secundum instructiones Apostolicae Sedis.*) - Textus originaliter Latinus.

79 Cfr Leander BOPP (1952), p. 28 (ASO, D II); Maria HILDEBRANDT: Lebendige Steine. St. Ottilien 2008, p. 47.

tulo generali anni 1902ⁱ de hac re constitutum erat et in Capitulo generali anni 1906ⁱ denuo huiusmodi scholam nunc esse erigendam affirmabatur.⁸⁰ Causae autem cur hōc propositum nondum ad effectum adductum esset, erant



*Alumni operarii anno 1910ⁱ unā cum instrumentis suis specialibus
(a dextris conspicitur P. Paulus Sauter).
[ASO, Archivum imaginum, A 2.]*

in eo, quod non solum locus, sed etiam magistri apti deerant. Nihilominus hōc votō iteratō tunc saltem locus paratus est, cum totum aedificium Sancti Gabrielis alumni operariis instructum est et Fratri cuidam laico⁸¹ munus Praefecti traditum est atque etiam horarium oecotrophēi instituebatur.⁸² Sed adhuc ipsa schola nondum exstitit.

80 *Cfr* Capitulum generale 1902, ad tit. II, V, pp. 33 sqq. (ASO, K.3.1); Capitulum generale 1906, Decr. IV, p. 4 (ASO, K.3.1).

81 Pro dolor nomen illius Fratris nescitur. Etiamsi Leander BOPP (1952), p. 31 (ASO, D II) conatur indicem Praefectorum et Patrum et Fratrum componere, nomen primi Praefecti ibīdem non invenītur. Ipse Leander Bopp confitetur propter indicia manca difficile esse talem elenchum conferre.

82 *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 47; Leander BOPP (1952), p. 28 (ASO, D II). - Fortasse Leander Bopp eā de causā putat annum 1906^{um} ut foundationis annum huius instituti haberi.

In fine anni 1911ⁱ denique consultationes ad scholam opificum condendam cum regimine initae sunt et die 25^o m. Maii a. 1912^o fundatio huiusmodi scholae eiusque curriculum a re publicā comprobantur.⁸³ Primus Rector huius scholae erat P. Paulus Sauter, qui etiam maiorem partem consultationum cum regimine susceperat. Idem autem munere Rectoris functus est usque in annum 1916^{um}. Ei iuxtapositus erat Frater laicus ut Praefectus.⁸⁴

Haec quōque schola erat institutum privatum monasterii Ottiliensis, sed omnes tirones, qui in opificinis monasterialibus operabantur, eandem frequentare obligati erant. Institutio fiebat tribus cursibus continuatis.⁸⁵ Tamen in initio difficultates quaedam exstabant, quia unā ex parte numerus discipulorum non erat nimis magnus, alterā ex parte magistri quōque, qui in disciplinā tironum docendorum specialiter eruditi erant, deerant.



*Alumni operarii anni 1926ⁱ (una cum P.re Barnaba Heege et F.re Barnaba Fangauer).
[ASO, Archivum imaginum, A 2.]*

83 *Cfr* Leander BOPP (1952), p. 29 (ASO, D II); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 47. - Frumentius RENNER: *Entfaltung*. *In*: Leuchter (2^o1992), p. 8 videtur erravisse annum 1909^{um} ut initium huius scholae indicans.

84 Tempore, quo P. Paulus Sauter Rector scholae erat, quattuor Fratres laici munere Praefecti functi sunt, nempe Fr. Eugenius Ostermaier (usque ad mensem Septembrem a. 1912ⁱ), Fr. Augustinus Kleck (usque ad mensem Septembrem a. 1913ⁱ), Fr. Andreas Haselhofer (usque ad mensem Februarium a. 1915ⁱ), Fr. Petrus Birnesser (usque ad finem a. 1917ⁱ). Hoc apparet ex indice, quem composuit Leander BOPP (1952), p. 31 (ASO, D II).

85 *Cfr* Leander BOPP (1952), p. 29 (ASO, D II); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 49.

Sed haec condicio paulatim meliorabatur. Iam anno 1913^o aedificium Sancti Gabrielis maiorabatur, ita ut deinde quinquaginta alumnis locum praebuit.⁸⁶

Conspicuum autem est et Patres Rectores et Fratres Praefectos satis celeriter munus suum iterum reliquisse (sive idem relinquere coactos esse), cum singuli non diutius quam duos usque ad quattuor annos ibidem operabantur.⁸⁷

Talis condicio, quā regimen continuum quadamtenus deerat, huic scholae certe non erat omnimodo proficua.⁸⁸

Haec duo instituta modo breviter descripta destinata erant pueris iuvenibusque, qui aliquando communitatis sodales futuri erant. Sed etiam exstitit aliud inceptum, quod ex monasterii optima fama in rebus oeconomicis atque in agriculturā exortum est et quod vice versā ad bonam agnitionem Abbatiae iterum effectum exseruit. Agitur vero de hiemali scholā agriculturalis, quae dicitur. Hōc autem inceptum spectabat ad iuvenes externos, ut ita dicam.

Iam anno 1904^o Agricoliarum Consociatio Bavarica de huiusmodi scholā in Abbatia Ottiliensi instituendā cogitavisse videtur et propter hanc rem iam illo tempore ad monasterium se converterat. Sed quia ipsorum vires non sufficiebant, Ottiliani ab tali incepto abstinere debuerunt.⁸⁹ Tamen inde ab tempore vernali anni 1909ⁱ denuo consultationes initae sunt inter Centralem Associationem Agricolaem Bavariae atque Abbatiam Ottiliensem. Hac vice deliberationes praeviae atque colloquia ad effectum adducebantur, cum inter illas duas partes denique die 3^o m. Apr. a. 1909^o contractus iungebatur, quo

86 Tamen - ut Leander BOPP (1952), p. 29 (ASO, D II) indicat - non statim institutum tot alumnis expleri potuit, cum ex causis primi belli mundani anno 1915^o tantummodo septem tirones adessent. Sed haec condicio quōque decursū temporis denuo meliorabatur.

87 Successor, qui P. rem Paulum Sauter immediate sequebatur, erat P. Leonhardus Weber, qui usque ad annum 1920^{um} Rector erat; deinde P. Frowinus Müller usque in annum 1922^{um} munere fungebatur. Proximus Rector erat P. Macarius Spitzig usque in annum 1924^{um}, quem usque in annum 1927^{um} P. Barnabas Heege sequebatur, quem denique ad breve spatium temporis P. Gotthardus Elling secutus est. Quod attinet ad Fratres Praefectos solum inveniri potuerunt Fr. Sulpitius Schlicker et Fr. Barnabas Fangauer. - *Cfr.* Leander BOPP (1952), p. 31 (ASO, D II).

88 Dicitur haec schola aliquatenus effloruisse sub Rectore P. re Macario Spitzig, verisimiliter eā de causā quia idem bene intellexit, quid faciendum esset, cum in iuventute opificium lignarii didicisset.

89 *Cfr.* Leander BOPP (1952), p. 32 (ASO, D II).

talem scholam agriculturae condere constituerunt.⁹⁰ Hōc contractū praeter alia agitur de numero discipulorum quotannis mittendo, de responsalitate quoad ipsam scholam eiusque institutiones, quae apud monasterium atque regiminis scholae erat, de quaestionibus pecuniariis deque similibus rebus.⁹¹ Haec vero schola hiemalis denique regiminis Bavariae Superioris decreto die 23^o m. Aug. a. 1909^o exarato publice agnita est.⁹² Primus eius Rector redditus est P. Paulus Sauter,⁹³ qui monasterii oeconomus iam bene meritus huic muneri maxime aptus erat.

Scopus autem generalis, quem Consociatio Agricularum habuit, erat in eo, ut iuvenes ex familiis rusticis exoriundi non solum in agricultura profunde erudirentur, sed iidem insuper etiam aliquo modo spiritualiter religioseque educarentur, id quod in huiusmodi scholis publicis fieri non potuit.

Die 4^o m. Nov. a. 1909^o primus Ottiliensis scholae hiemalis cursus, quem quinquaginta discipuli frequentaverunt, sollemniter inauguratus est.⁹⁴ Illi cursūs, qui inde ex illo tempore regulariter exhibebantur, ab initio mensis Novembris usque ad finem mensis Februarii durare solebant. Inter illos

90 *Cfr* Vertrag zwischen der St. Benediktus-Missionsgesellschaft und der Landwirtschaftlichen Zentralgenossenschaft des Bayerischen Bauernvereins (3.4.1909) (ASO, A.10.1.1). - *Cfr* etiam Leander BOPP (1952), p. 32 (ASO, D II); Cyrillus WEHRMEISTER (†1939), p. 18.

91 *Cfr* Vertrag zwischen der St. Benediktus-Missionsgesellschaft und der Landwirtschaftlichen Zentralgenossenschaft des Bayerischen Bauernvereins (3.4.1909) (ASO, A.10.1.1), § 1, quo dicitur ad unumquemque cursum quinquaginta discipulos missum iri, § 3, quo agitur de iis rebus, quas monasterium praestare debuit (quae spectant ad institutiones, magistros, discipulorum victum locumque habitandi etc.), § 4, quo Associationi asseveravit se contributionem 180 marcarum pro unoquoque discipulo Abbatiae translaturam esse. Ceterum hic contractus ad viginti annos iunctus erat et per se prolongabatur, nisi unus ex participes in fine spatii temporis eundem solvere vellet (§ 6). Scitū autem dignum est Associationem Agriculturalem paragrapho 5 Abbatiae Ottiliensis pecuniam creditam 100 000 marcarum commodare (usuris quattuor centesimarum), quae pecunia credita non renuntiat, quam diu discipuli Associationis in scholam recipiuntur.

92 *Cfr* epistula regiminis Bavariae Superioris die 23 m. Aug. a. 1909 ad Abbatiam Ottiliensem directa (ASO, A.10.1.1). - *Cfr* etiam Leander BOPP (1952), p. 32 (ASO, D II); Alois SCHLÖGL: Bayerische Agrargeschichte. Die Entwicklung der Land- und Forstwirtschaft seit Beginn des 19. Jahrhunderts. München 1954, p. 363, qui per errorem annum 1907^{um} indicat.

93 *Cfr* Leander BOPP (1952), p. 32 (ASO, D II); Alois SCHLÖGL (1954), p. 363; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter (†1992), pp. 8 sq.

94 *Cfr* Chron. Ottil., m. Nov. a. 1909; Leander BOPP (1952), p. 32 (ASO, D II); Alois SCHLÖGL (1954), p. 363.

quattuor menses discipuli iuvenes in oecotrophēo unā habitaverunt, quo modo etiam communitas eorum atque aspectus spiritualis melius excoli potuerunt. Scholā autem locum habebat in aedificio Sancti Michaelis, quod antea seminarium Ottiliense pro discipulis gymnasialibus fuerat. Itaque ut omnibus indigentis novae scholae agriculturalis responderetur, anno 1910^o in domūs Sancti Michaelis parte septentrionali aedificium quoddam adiungebatur.⁹⁵ Idem mense Novembri a. 1910ⁱ in initio novi cursūs sollemnitate quādam in usum tradebatur.⁹⁶



*Alumni agriculturae scholae cursūs anni 1916.
In medio primae seriei sedens P. Paulus Sauter.
[ASO, Archivum imaginum, A 70.]*

Sed quid in illā scholā hiemali docebatur? Unā ex parte scilicet res fundamentales velut lingua Theodisca, mathematica, geometria, chemia, physica, ars delineandi, ars cantandi, religio, alterā ex parte tales disciplinae, quae agricolis imprimis utiles erant, velut ipsa theoria agriculturae, res pecuaria, oeconomia lactaria, apicultura, piscicultura, quaestiones veterinariae, peculiare quaestiones iuridicae etc. Maximum autem emolumentum in Ottiliensi scholā hiemali erat in eo, quod alumnis non solum theoretice, sed etiam practice in verā oeconomia multiplici omnia necessaria monstrari atque de-

95 *Cfr* Leander BOPP (1952), p. 33 (ASO, D II); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 178.

96 *Cfr* Chron. Ottil., m. Nov. a. 1910; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 178.

monstrari potuerunt. Itaque erat postulatum quōque curriculi, quō alumni in variis partibus oeconomiae ipsi cooperari obligati erant.⁹⁷ Magistri vero non solum erant externi viri periti, sed praeter ipsum P. rem Paulum Sauter etiam Ottiliani Patres atque Fratres laici, qui imprimis in oeconomia agriculturāque Ottilianā cooperabantur.

Ottiliensis agriculturae schola hiemalis optimum progressum effectumque exseruit atque cursūs semper expleti erant. Tamen tempore primi belli mundani cursūs ad tempus quoddam finiebantur, quia inde a mense Augusto a. 1914ⁱ oeci scholares ut valetudinarium militare adhibebantur.⁹⁸ Tamen bello finito cursūs iterum incohabantur, quamvis demum anno 1920/21^o schola hiemalis modo plenario denuo suscipi potuit. Cum autem bonus effectus Ottiliensis scholae hiemalis bene percipiebatur, desiderium exortum est, quo intra Congregationem alia quōque schola huiusmodi institueretur. Hōc factum est in Abbatia Swickersperchiensi, quā de causā anno 1921^o P. Paulus Sauter ut his in rebus peritissimus illūc missus est, ut in Swickersperchiensi scholā hiemali exstruendā instituendāque auxilium ferret.⁹⁹ Eius successor in scholā Ottiliensi deinde factus est P. Basilius Konrad.

Ut vidimus, Ottilianus campus scholaris primis decenniis saeculi vicesimi iam erat satis amplus, multiplex et sub variis aspectibus vere efficax, cum quaestio eruditionis atque educationis in Congregatione Ottilianā esset constitutiva.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 207, 2017, pp. 83-109]

97 *Cfr* ex. gr. Chron. Ottil., m. Nov. a. 1910; Alois SCHLÖGL (1954), p. 363.

98 *Cfr* ex. gr. Leander BOPP (1952), p. 60 (ASO, D II); Alois SCHLÖGL (1954), p. 364; Frumentius RENNER: Norbert Weber. *In*: Adolf LAYER (ed.): Lebensbilder aus dem bayerischen Schwaben. 11. Weißenhorn 1976, p. 341; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 178; Cyrill SCHÄFER: Stella Maris. St. Ottilien 2005, p. 92.

99 *Cfr* Leander BOPP (1952), p. 33 (ASO, D II); Alois SCHLÖGL (1954), p. 364. - Fusius de Swickersperchiensi scholā hiemali *cfr* Martin FREUNDORFER: Die Landwirtschaftsschule Schweiklberg. *In*: Christian SCHÜTZ / Martin FREUNDORFER (edd.) (2005), pp. 313 sqq.